DIFFERENTIÆ
JURIS COMMUNIS ET ELECTORALIS TREVIRENSIS
CIRCA
TESTAMENTUM FILII-FAMILIAS DE BONIS ADVENTITIIS,
QUAS,
DISSERTATIONE INAUGURALI,
SVB AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. FRIDERICI,
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.
EX AUCTORITATE ET DECRETO
AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS,
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS IMPETRANDIS,
MAGNIFICI ET EXCELLENTISSIMI SENATUS ACADEMIÆ MARBURGENSIS
BENEVOLO EXAMINI
D. VIII. Febr. A. R. S. MDCCXXXVIII.
SUBMITTET,
CHRISTIAN. THEODOR. LIPPE,
LIMBVRGO TREVIRENSIS.

MARBURGI CATTORVM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONIS INAUGURALIS

DE

DIFFERENTIIS JURIS COMMUNIS ET PATRII TREVIRENSIS,

CIRCA

TESTAMENTUM FILIIFAMILIAS DE BONIS ADVENTITIIS,

THESIS I.

Quæ *inter Jura* tam varia, tamque diverſa, *Germanis* hodie *uſitata*, *differentiæ* intercedunt verè *innumeræ*: illæ vix alibi *extantiores*, magisque conſpicuæ ſunt, quam circa *Succeſſiones*, tam ex Teſtamento, quam ab Inteſtato. Teſtamenta enim (de quibus ſecundum Lemma præſcriptum hâc vice mihi dicendum) quod attinet, quam diverſimode circa modum hunc transferendi jura defuncti in heredem Jus Canonicum & Civile jam tum rationes ſuas ſubduxerint, tredecim illæ differentiæ ſatis teſtantur, quas Christ. Thomasius peculiari Diſſertatione *de Dif-*

Quanta Jurium in Germ. ſit diverſitas,

Circa Succeſſiones teſtam. & ab Inteſt. ſe vel maxime exſerit.

Ipſum Jus Canon. &

Civ. quoad Succeſſ. Teſtamentar. inſigniter differunt.

ferentia Jur. Civ. & Canon. in doctrina de Teſtam. collegit. Ad ſingulas verò Germaniæ Regiones ubi pergimus, cum nulla earum ſit, quæ ſua eaque ſingularia non habeat inſtituta, Jura ac conſuetudines, alicubi etiam ſingulæ Urbes & Oppida, quin & Vici ſuis ſeorſim moribus vivant. In his omnibus, aut certe pleriſque, ratione facultatis teſtandi, heredis inſtitutionis, ſubſtitutionis, exheredationis, ſolennium externorum &c. maximam diverſitatem deprehendi, vel è ſpeciminibus illis. quæ HENR. GIESEBERTUS *in Periculo Statutorum Harmonico* exhibet, facile intelligitur.

Quæ vero Statuta & conſuetudines ſingular. Regionum intercedunt differentiæ, plane innumera ſunt.

THESIS II.

Cauſa, cur Statuta & Conſuetud. circa teſtam. tantopere varient, indigitatur.

Cur autem Statuta & Conſuetudines ſingularum Germaniæ Regionum circa Teſtamenta tantopere varient, ejus rei ratio non aliunde magis arceſſenda, quàm quod inſtitutum ipſum à principiis Juris Patrii antiqui nimis alienum ſit. Inde enim factum eſſe, ut merx hæc peregrina in omnibus & ſingulis Germaniæ magnæ Provinciis non eadem facilitate excepta, in pleriſque uſus illius variis modis informatus, & intra certos limites reſtrictus, alicubi etiam planè prohibitus fuerit, ex hiſtoria introductæ in Germaniam Succeſſionis Teſtamentariæ, a compluribus Viris Cel. contexta, abundè notum eſt. Haud fruſtra proin mirari ſubit, qui factum ſit, ut *Statutis* nonnullis facultas teſtandi ultra terminos Romano Jure eidem præſtitutos planè extenſa fuerit? Singularem certè conſiderationem meretur, quod

ORDI-

ORDINATIONE TREVIRENSI noviſſima, Liberis in poteſtate patria conſtitutis, quam primum decimum octavum ætatis annum compleverunt, de bonis adventitiis teſtamentum facere permiſſum eſt. Eamque *Juris Patrii* diſpoſitionem pro argumento Diſſertationis Inauguralis tantò magis ſelegi, quo majori conatu id ſemper egi, ut ſtudia mea qualiacunque Patriæ dulciſſimæ Juribus accommodata eſſent, ejusque commodis inſervire aliquando poſſent. In evolutione vero thematis ſelecti ita verſabor, *ut primo* loco quid Jure Communi circa teſtamenti factionem filiisfam. denegatum: *ſecundo* loco quid Patriæ meæ Leges iiſdem permittant, quæve ratio huic indulgentiæ fortè conſtet, diſquiram: demum *tertio* quæſtiones ſpecialiores inde dependentes expendam. Quo ipſo differentiæ iſtorum Jurium, longè maximæ, per ſe patebunt. *Argumenti Selectus & partitio.*

THESIS III.

Cum itaque à Jure Rom. ejusque primis principiis mihi exordiendum ſit, τα κοινα κοινως (ex veteri formula) dicere licebit. Tyronibus nimirum in Jure abunde notum eſt, *Decemviros* jam tum, in LL. XII. Tabb. *univerſi Juris publici privatique fonte*, cùm Civibus liberam teſtandi facultatem permittere vellent, de iis ſolum, qui Patresfam. abruptè locutos eſſe, atque adeo Filiisfam eandem libertatem denegaſſe. Verba Legis illius Decemviralis diverſimodè equidem recitantur, vid. RITTERSHUSIUS *in Comment. ad d. LL. cap. XI.* genuinam tamen antiquitatis imaginem refer- *L. XII. Tab. Filiisfam. omnis teſtamenti factio denegata.*

 re vi-

Digitized by Google

re videntur, prout apud *Autorem Libri ad Herenn.* leguntur: *Paterfamilias Uti Legaſſit Super Familia Pecuniave Sua, Ita Jus Eſto*: Utrum Decemviri eandem è ſurculis Legum Regiarum petierint, an vero ex LL. Græcorum mutuati ſint, vel inde dubium videri poterit, quia ex *L. Romuli* jam tum, patria poteſtas, dominicæ ſimilis, *liberis haud permiſit, quidquam proprii habere, ipſique pecunia & corpore patris arbitrio traditi fuerunt*, DION. HALICARN. *Lib. 8.* Præterquam tamen quod argumenta, quibus uſus teſtamentorum ſub Statu Reip. Regio adſtrui ſolet, multis dubiis adhuc ſubjecta, vid. SUMMERMANN *Conjectur. de orig. & progr. teſtam. Specim. I. pag. 105.* complura alia perſuadent, Decemviros LL. è Græcia allatas & heic præ oculis habuiſſe. Conf. BALDUINUS *ad §. 1. Inſt. quib. non eſt permiſſ.* SAM. PETITUS *ad LL. Attic. & Rom. pag. 605.*

THESIS IV.

Ratio prohibitionis illius, quam Ulpianus conſervavit.

Rationem hujus ſanctionis notiſſimus ULPIANI locus, *Fragment. Tit. 20. §. 10.* ſequentibus verbis nobis conſervavit: *Filiusfamilias*, ait, *teſtamentum facere non poteſt, quoniam nihil ſuum habet, ut teſtari de eo poſſit.* Eademque nomotheſiæ Decemvirali ſatis quidem adpoſita non ſola tamen & unica eſt, ſicut ex infra dicendis apparebit. Qua occaſione ſingularem Dn. THOMASII interpretationem illius prætermitter non poſſum, quam peculiari Diſſertatione *de Senſu L. Decemviralis Teſtament.* defendit. Poſtquam

Et circa eam ſingularis Dn. Thomaſii

Digitized by Google

quam enim §. 38. ex præmiſſis regulam exſtruxit, *illis omnibus ex Lege Decemvirali teſtamenti factionem competiiſſe, qui in Comitiis Calatis comparere potuerint, & bona habuerint, de quibus teſtarentur.* Mox §. 49. ſubjungit: *Filiumfamilias exceptionem à regula facere, comparuiſſe eum quidem in Comitiis, teſtem fuiſſe in alieno teſtamento, non potuiſſe tamen teſtamentum facere, quia nihil proprii habuerit, ut Ulpianus loquitur, ac diſtinctio peculiorum tunc nondum introducta. Ergo in Filiofamilias impedimentum facti magis quam Juris adeſſe* &c. Ut tamen circa ratiocinium JCti ſummi nominis & meriti hanc ſubſiſtam, non illud ſolum efficit, quod probabilior illorum ſententia mihi videtur, qui Filiumfam. non aliter Juris Comitiorum participem fuiſſe ſtatuunt, quam ſi Magiſtratum gereret, vid. Dn. de BYNKERSHOECK *Obſerv. Jur. Civ. Lib. I. cap. 18.* Dn. HEINECCIUS *Antiquit. Rom. Lib. 2. tit. 10. §. 18.* Sed etiam, quia verba & mens *XII. Tabb.* limitibus nimis anguſtis ita quidem includi videntur. Ambitum verò Legis Decemviralis & vim illius omnino omnem penitius expreſſiſſe mihi videtur MARCUS AURELIUS GALVANUS, (quem excellentiſſimum ſeculi ſui JCtum, STRAUCHIUS alicubi vocat) in *Tractatu de uſufructu cap. 9.* ità differens: *tres omnino rationes* (ſpeciales) *fuiſſe mihi videntur, propter quas Filiusfam. teſtari prohiberetur, quæ omnes ex verbis aut ſententia L. Decemviralis colliguntur: Quia non erat paterfamilias; Quia carebat familia ſua: Quia non habebat res ſive bona propria.*

ſententia expenditur.

Reliquæ rationes Sanctionis Decemvir. ex Galvano adducuntur.

Et

Digitized by Google

Et prima quidem illa Galvani ratio à defectu ſtatus petita, omnium potiſſima eſt. Cum enim in domeſtica hac ſocietate Patrifamilias, velut principi & domino ſuæ familiæ, immenſa tum temporis poteſtas in Liberos & ſervos competierit, fieri certe ulla ratione haud potuit, ut actus graviores, Domum attinentes, à filio, cujus actiones cunctæ patris arbitrio ſubjectæ, expedirentur, omnium minime verò, ut teſtamentum ab eodem condi potuerit, quó *inter actus privatos*, dicente Cicerone *Philipp. 2. nihil gravius. Altera ratio* à Galvano adducta ex verbis XII. Tabb. itidem petita; *Familiæ* autem nomine, Decemviros in auguſtiori ſignificatu hic uſos, condiſtinctum eidem *pecuniæ* verbum ſatis indicat. Et ſicut integra Lex hæc, è Græcia, ut ſupra vidimus, petita, ita prælaudatus JCtus *d. l.* è *Platone* & *Iſæo* eruditè probavit, apud eoſdem, heredes ità inſtitutos & inſtituendos fuiſſe, ut bonorum non modo dominium, ſed etiam *Familiam* defuncti conſequerentur; idque tanto magis, quod *Familia* contineret *Sacra privata*, hæc verò cum jure Familiæ perinde conjuncta eſſent, ac *ſacra publica* cum Jure Civitatis; indeque providendum crederent Rom. & Græci, ne ad heredem pervenirent bona ſine ſacris, hac ratione certò perituris, Cicero *Lib. 2. de LL.* Filius autem familias non habebat *familiam*, de qua teſtaretur, ſed ipſe in *familia* & *Sacris paternis* conſtitutus erat. *Tertia* ratio per ſe liquet: cautum enim eſt XII. Tabb. teſtatorem ut de familia *ſua*, ita quoque de pecunia *ſuà*,

ſeu

Digitized by Google

ſeu bonis propriis teſtari debere, qualia tum temporis nondum habebat. Ex his omnibus verò ſatis, ut puto, eluceſcit, impedimenta *Juris* magis, quam *facti*, ſubfuiſſe, quæ Filiumfamilias à teſtamenti factione jam tum arcerent.

THESIS V.

Et quamvis Filiofam. de peculio caſtrenſi teſtari, deinceps permiſſum.

Iſthæc Filiorumfam. conditio inſigniter quidem ſecutis temporibus mutata, dum iis primò, qui Caſtrenſe peculium haberent, teſtamenti factio permiſſa, quod ipſum Conſtitutionibus D. Impp. *Auguſti, Nervæ, Trajani, Hadriani* introductum eſſe, *princ. Inſt. quib. non eſt permiſſ.* (*Ulpiani* enim verba *Fragm.* §. 10. quibus *Marco Imp.* id tribuitur, in mendo cubant; & *Galvani* conjectura qua *D. Auguſtus Magnus* ſubſtituendum eſſe cenſet, diſſentiente licet *Schuttingio ad d. §. 10.* mihi valde probabilis videtur, modo diſtinguamus inter cognomen quod privatâ, & quod publica autoritate Imperatori tributum). Eademque libertas ad *quaſi Caſtrenſe peculium* per gradus ità extenſa fuit, ut primò certis perſonis tantum, Præſidibus puta Provinciarum, Proconſulibus, omnibusque publicum ſalarium à Principe habentibus, etiamſi Filiifam. eſſent, de eodem teſtari licuerit, vid. *l. 1. §. 6. ff. ad SCt. Treb. l. 4. §. 5. de bon. poſſ. l. 1. §. 15. de Collat.* Jacob. Gothofredus *in Comment. ad l. 2. C. Theod. de Aſſeſſor. & l. 3. C. Theod. de poſtulando.* Imp. Justinianus verò omnibus peculium *quaſi Caſtrenſe* habentibus eandem libertatem conceſſerit, *§. ult. I. de Teſtam. milit. l. fin. C. de inoff. Teſt. l. 34. C. de Epiſc. & Cler.* Quoad *paganum* tamen *peculium*, regula in prima nomotheſia

Idemque ad quaſi Caſtr. pecul. extenſum ſit.

Quoad paganum tamen prima

prohibitio in ſuo vigore perſtitit. ſia poſita, Filiumfamilias ab omni teſtamenti factione excludens, in ſuo vigore perſtitit. Quamvis enim Juſtinianus Imp. proprietatem *adventitiorum* omnium filio conceſſerit, in quibuſdam etiam bonis eò pertinentibus, patri ne uſusfructus quidem àcquiratur. Atque adeò intuitu *peculii adventitii*, præſertim *irregularis*, ratio prohibitionis, ex *Ulpiani fragmentis* ſupra adducta, ſimulque Juris diſpoſitio ceſſare videatur. *Indubitati* tamen *Juris eſſe, filium qui in poteſtate eſt, teſtamentum facere non poſſe*, effatum *Legis 3. §. 1. Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* extra omnem controverſiam collocat: cum de Bonis *Caſtrenſibus* & *quaſi Caſtrenſibus*, quorum etiam intuitu pro patrefamilias habetur, *l. 2. ff. ad SCt. Maced.* tantum extent Conſtitutiones expreſſæ, d. LL. quoad *adventitia* verò omni Legum ſuffragio deſtituamur. Quæ verò objici ſolent LL. capita, dudum ab omni antinomia liberata, ſimulque evictum eſt, ceſſante licet ratione *Ulpiani* ſupra adducta, (quamvis VALENTIN FORSTERVS *Obſerv. ſucciſiv. Specim. ſecundo* ſpecioſè defendat, eandem tam latè patere, ut etiam *familiæ*, ſimulque *Status* defectum ſub ſe comprehendat,) reliquas tamen rationes Legislatoris, Filiofamilias adhuc obſiſtere. Sanè per actus privatos, quibus *adventitia* pleno jure licet, filiusfam. adquirit, nec univerſitatem bonorum & jurium, nec perſonam patrisfam. & principis familiæ conſequitur. Conf. *Perilluſtris* Dn. DE COCCEII *Jus Controverſum Tit. qui teſtam. fac. poſſ. quæſt. 5.*

TRES

THESIS VI.

Nec minus expediti Juris eſt, Filiumfamilias, ne conſentiente quidem patre, teſtamentum facere poſſe, *l. 6. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* ut ut mortis cauſâ ita donare queat, *l. 25. §. ult. de mort. cauſ. donat.* Cujus equidem rigoris non alia ratio, quam quod teſtamenti factio, poſtquam ſemel *LL. XII. Tabb.* ſtabilita, ita Juris Publici habita fuit, ut Pater ſuo conſenſu civile quidquam addere, quæque LL. autoritate filio denegata, ſuo arbitratu tribuere non poſſit. Quam rationem *Accurſio* jam obſervatam, DUARENUS *ad tit. ff. qui teſtam.* GALVANUS *d. l. cap 10.* pluresque alii prolixe expoſuerunt, & ab objectionibus liberarunt. Cumque non defuerint, qui in dubium vocarent, an caſus dabilis ſit, ut pater in proprium præjudicium filio teſtamenti factionem permittat, id ipſum non una ratione fieri poſſe, oſtendit STRYCK *de Cautel. teſtam. cap. 18. §. 4.* Hoc ipſo verò deteriorem quodammodo Filiifamilias conditionem fuiſſe, quam quæ Servorum apud Rom. omnino videri poteſt. Præterquam enim, quod teſte ULPIANO *d. t. 20. §. 16.* Servus publicus Populi Romani (ita enim legendum eſſe CUIACIUS *lib. XI. Obſerv. cap. 28.* evicit) pro parte bonorum dimidia teſtamenti faciendi jus, habuit, (qualis reſtrictio, alias liberis hominibus non rarò pœnæ nomine impoſita, PAULUS *Sentent. lib. 2. tit. 26. §. 13.*) Conf. P. PITHOEUS *in Not. ad Collat. LL. Moſaic. & Rom. tit. 5.* Et quod LEO Imp. *Novell. 38.* ſervis Principis morientibus liberum

In tantum ut ne conſentiente quidem patre teſtari poſſit.

In quo deterior quodammodo filior. fam. conditio quam ſervorum.

Digitized by Google

rerum ſuarum arbitrium permiſit. Privatos quoque tale quid ſervis ſuis non raro indulſiſſe, exemplo Plinii *lib. 8.* Epiſt. 16. conſtat: *Permitto*, ait, *ſervis quoque, quaſi Teſtamenta facere, eaque ut legitima cuſtodio. Mandant rogantque quod viſum: pareo ocyus; ſuis dividunt, donant, relinquunt, duntaxat intra domum: nam ſervis reſpublica quædam & quaſi civitas, domus eſt.*

THESIS VII.

Unde nec emancipatio ad hunc actum ſaltem facta quidquam operatur.

Quod autem rectâ viâ Filiusfamilias, cum, vel ſine conſenſu Patris facere non poteſt, illud nec per indirectum efficere valet. Nihil certè ipſi proderit Cautela, quam Capolla, verſutiæ potius quam prudentiæ notiſſimus magiſter ille, in *Tract. de Cautel cap 157. & 197.* ſuggerit, ut pater eum tantum quoad actum teſtandi emancipet, de cætero in poteſtate retineat, ſicque ad dies vitæ ipſius, uſumfructum bonorum adventitiorum ſibi integrum conſervet. Ecquis enim ignorat, quod emancipatio, velut actus legitimus, juxta *l. 77. ff. de R. J.* pure expedienda ſit, nulliſque limitibus ſe circumſcribi patiatur?

Nec clauſula Codicillaris,

Pariter nec Clauſulam Codicillarem teſtamento Filiifam. patre conſentiente adjectam, defectum facultatis in perſona teſtatoris ſupplere poſſe, argumenta à Lauterbachio *Colleg. Theoret. Pract. tit. qui teſtam. fac. poſſ. §. 31.* adducta, ſatis evincunt. Nec aliter, puto, Stryckius *de Cautel. Teſtam. cap. 3. §. 37.* quamvis enim multum intereſſe ſcribat, quâ verborum formulâ iſthæc clauſula expreſſa, & ſi generalibus verbis,

v. g.

Digitized by Google

v. g. *omni meliori modo* concepta ſit, aut donationis m, c. nominatim mentionem faciat, diſpoſitionem in vim m. c. donationis ſuſtineat; ipſe tamen mox addit, non aliter hæc procedere, quam ſi acceptatio illius acceſſerit, cui teſtator quid donatum voluit, aſt hoc ipſo vera donatio mortis cauſa interceſſit. Illud quoque teſtamento Filiifam. inde ab initio nullo, ſubvenire, & efficere non poſſe, ut ex poſt facto convaleſcat, ſi poſt factum teſtamentum, patre mortuo, ſui juris factus deceſſerit, *l. 7. ff. qui teſtam.* clariſſimis verbis determinat. Unde nec ſola approbatio teſtamenti, antea conditi, poſt mortem patris facta, quidquam operabitur, STRYCK. *de Cautel. teſtam. d. l. §. 43.* Nec in vim fideicommiſſi, ut MANZIVS *de Teſtam. tomo 2. num. 121.* exiſtimat, propterea ſuſtineri poterit, niſi requiſita illa ad minimum adfuerint, quæ in §. *fin. Inſt.* & *l. fin. C. de Fideic.* ad probationem fideicommiſſi deſiderantur. Quando autem Dd. ex *l. pen. §. 2. ff. de Caſtrenſi pecul.* concludunt, quod teſtamentum Filiifam. de Caſtrenſi peculio factum, etiam quoad reliqua bona valeat, ſi ſui juris moriatur, indeque inferunt, ſi Filiusfam. paganus, de caſtrenſibus & ſimul de adventitiis teſtamentum condat, vel horum planè nullam mentionem faciat, heredem in caſtrenſibus ſcriptum, in omnibus bonis ſuccedere: ne alias teſtator pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedat. BRUNNEMANNUS *ad d. l. pen.* merito regeſſit, ſententiam illam quoad profectitia, manifeſtæ Juris rationi adverſari: adventitia verò tempore *d. l.*

Nec approbatio filii poſtquam ſui jures factus, Teſtam. ſuſtinent.

 pen.

pen. nondum cognita fuiſſe, regulam quoque illam, quod cauſa teſtati & inteſtati, quoad eundem teſtatorem ſimul conſiſtere non poſſit, tunc ceſſare, ſi de quibuſdam bonis non poſſit teſtari. De cætero ipſo Jure Rom. jam tum prohibitionem hanc, Principis diſpenſatione laxari potuiſſe, & ſæpius laxatam eſſe, ex *L. 35. C. de inoff. teſtam.* apparet.

THESIS VIII.

An teſtam. à filio, cujus pater deportatus, conditum eo reverſo irritum fiat.

Prius verò quam à Juris Romani principiis, ad reliqua, quæ ſuperſunt, pergam, quæſtio illa multiplici Dd. diſſenſu involuta adhuc expendenda venit, utrum Teſtamentum à Filio, cum Pater ejus deportatus eſſet, conditum, eo reverſo & reſtituto, in ſuo vigore perſiſtat? Affirmativam cum veteribus Gloſſatoribus nonnullis defendit CUIACIUS *in Comment. ad l. 5. C. de ſent. paſſ.* eumque ſecutus OISELIUS *ad Caji Inſt. Lib. 1. tit. 2. §. 6.* Aſt contra aperta verba *d. l. 5.* omnemque Juris noſtri analogiam. *Conſtantinus* enim *Imp.* in Lege illa elegantiſſima, omniſque Jurisprudentiæ (ut verè *Gothofredus*) pleniſſima, quæſtionem controverſam, quam vim, quemve effectum *patris deportati reſtitutio* contemplatu filii habeat? deciſurus, primo loco altercationes illas, quas JCti *Ulpianus* & *Paulus* in *Notis* ſuis ad ſcripta Papiniani excitaverant, explodit, & Papiniani ſententiam iiſdem præfert. Hic ipſe verò *Quæſtionum lib. 13.* procul dubio, tot LL. inſcriptionibus teſtantibus, in materia teſtamentaria verſans, quæſtionem illam moverat, utrum

utrum teſtamentum, quod filius deportati feciſſet, patre remeante & reſtituto, irritum fieret? Eandemque *Conſtantinus*, ſecundum verba initialia *d. Legis* ibi: *in quæſtione Teſtamenti* &c. principaliter tractans, pauciſſimis hiſce ſed nervoſis verbis decidit: *Papiniani placet valere ſententiam, ut in patris ſit filius poteſtate, cui dignitas & bona reſtituta ſunt.* Atque adeò rationes ſui deciſi ita ſubduxit: Cui dignitas, cui bona reſtituuntur, eidem ut patria poteſtas illis omnibus longe pretioſior, & juxta *l. 114. §. 1. de leg. 1.* planè *inæſtimabilis*, ut reſtituatur, neceſſe eſſe: hoc vero poſito, proná conſequentia inde profluere, teſtamentum à filio interim conditum, quamprimum in patriam poteſtarem recidit, irritum fieri. Non aliam enim huic deciſo mentem conſtare, BASILICA *Lib. 60. tit. 68. l. 17.* extra omnem controverſiam collocant, ita verò illa, ex *editione Fabrotti Tom. VII. pag. 930 ſed ſi antequam rediret pater, filius interim perfectæ ætatis aliquid geſſerit, id rectè geſtum, poſt reditum patris irritum non fit, ſed eandem vim retinet, quam habuit ante reditum patris, excepto teſtamento* &c. Quæ autem *Cujacius* pro ſua ſententia adduxit, ea, tantum non omnia, huc redeunt, nullibi in Jure conſtitutum eſſe, teſtamentum ab initio validum propterea infirmari, quod teſtator jus teſtamentum faciendi amiſerit, niſi per capitis diminutionem illud amiſerit, qualem tamen non patiatur, qui, deportato patre, teſtamentum fecit, eoque reſtituto in ejus poteſtatem redit. Aſt enim verò, manifeſtiſſima omnino

eſt

eſt capitis deminutio, quam filius tali caſu patitur, eique planè ſimilis, quam paterfam. ſubit, dum alteri ſe arrogandum dat, ſicut ergo hujus teſtamentum eo ipſo irritum fit, *§. 4. Inſtit. quib. mod. teſtament. infirm.* ita de illius teſtamento idem omnino affirmandum eſt. Reliqua, quæ obſtare videntur, ex iis, quæ ad *l. 1. C. Theod. d. t.* JACOB. GOTHOFREDUS annotavit, facile diluuntur.

THESIS IX.

Quid Jure Canon. circa teſtam. filiiſfamil. conſtitutum ſit?

Jam ad Jus Canonicum ubi pergo, id ipſum prohibitionem illam pro regula pariter agnoſcere, & hactenus cum Jure Civili amicè conſpirare, vel ſolum *cap. 4. de ſepult. in 6.* neminem dubitare ſinit. Et quamvis THOMASIUS *d. Diſſ.* §. 22. nec non *Continuat.* STRYCK. *Uſus mod. ff tit. qui teſtam.* §. 6, annotaverint, SCHILTERUM *in notis ad Different. Jur. Civ. & Canon.* §. 71. perperam exiſtimaſſe, *peculiarem differentiam in eo intercedere, quod Jure Canonico Filiusfam. patre permittente, de bonis quibuſcunque libere teſtari poſſit, cum tamen cap. 4. de ſepult. in 6. unice de teſtamento ad pias cauſas loquatur:* &c. Quodſi tamen Autores, quorum teſtimonio *Schilterus d. l.* utitur, *Bartholum* in primis & *Lud. Engel* evolvamus, & quæ ipſemet in *Praxi Jur. Rom. Exerc. 39. §. 15.* diſſeruit, ſimul conferamus, clariſſimè apparet, prælaudato JCto tale quid in mentem haud veniſſe, ſed de exceptione qua in favorem piæ cauſæ, conſenſu patris teſtari, Filiofam. de Jure Canònico permiſſum unice

Digitized by Google

unice locutum eſſe, in eoque differentiam, quam indigitat, collocaſſe. De *Clericis* tamen *Filiisfam.* aliud dicendum, præterquam enim, quod in *l. 34. C. de Epiſc. & Cler.* jam tum diſpoſitum, quicquid ex officio Eccleſiaſtico acquiſiverint, jure peculii quaſi caſtrenſis cenſendum eſſe, liberamque de iis teſtandi facultatem ipſis competere; Canoniſtarum tantum non omnium conſtans doctrina eſt, eos de adventitiis quoque, modo non intuitu Eccleſiæ acquiſita ſint, ultima voluntate, prout lubet, diſponere poſſe, Cardinal: de Luca *tom. 9. theatr. verit. & juſtit. diſc. 61. num. 2. ibique alleg.* & Anbreol. *Controv. 326.* (qui tamen bona ante Clericatum acquiſita, in quibus pater uſumfructum habet, ut & quæ intuitu Clericatus filio obvenerunt, excipienda eſſe cenſet.) Utrum verò *Authent. Presbyteri C. de Epiſc. & Cler.* & *cap. 9. X. de Teſtam.* ut textus probantes eò pertineant, de quo Dn. Böhmer *ad Tit. X. de Pec. Cler.* §. *26.* ut ſeorſim diſquiram, inſtitutum meum nunc quidem haud patitur. Denique *cautelæ* illius mentio adhuc injicienda, quam ſupra memoratus Cæpolla *d. Tr. Cap. 156.* velut *multum notabilem & mente perpetuò tenendam*, tantopere deprædicat, ut ſcilicet, Filiusfamilias, teſtamentum vel invito patre conditurus, primam tonſuram ſaltim accipiat, eoque condito, Ordini mox renunciet; id enim quale ſit, quam deteſtandus etiam cujuscunque Religionis ad fraudes & technas abuſus, ſit, quilibet mecum agnoſcet.

THESIS X.

Cumque Receſſib. Imp. Filiisfam. nihil novi hic indultum ſit.

Cum verò ſub nomine Juris Communis, non ſolùm aliunde adſcita, ſed vel maximè Patria Majoris Reip. Jura, interque illa Receſſus Imperii comprehendantur, ad hæc ipſa nunc pergendum foret, niſi abundè notum eſſet MAXIMILIAN. I. *Imp. in Ordin. Notar. de anno 1512. tit.* von *Teſtam.* quâ Juris Civ. diſpoſitionem, pauciſſimis exceptis, confirmavit, hâc in parte nihil immutaſſe. Unde etiam THOMASIUS *in not ad ff. tit. qui teſtam.* & SCHILTER. *Exerc. 38. theſ. 17.* aſſerere non dubitarunt: *circa Filiosfamil. prætertim ſi minorennes ſint, idem adhuc hodie obſervari* &c. Pro ea quoque, quam ſupra dixi, *Statutorum* diverſitate complura reperiuntur, in quibus placita Juris Rom. hactenus expoſita, ſimpliciter confirmata. De *Friſia* nominatim ex notiſſimo SANDII loco *Lib. I. tit. 4. def. 8.* abunde notum, quam exactè, quod Rom. viſum, hic obſervetur: idemque præjudicia teſtantur, ad quæ HUBER. *d. t. ff. §. 2.* provocat: *Scio*, ait, *Filiosfam. hîc extitiſſe locupletes, annos 50. natos, quorum legata relicta etiam modica, rebus Judicatis nulla pronunciata ſunt.* Non omnes tamen Regionum Dominos *Statuta* ſua, hac in parte ad placita Juris Rom. compoſuiſſe, non ubique etiam obſervantiam & conſuetudinem, *Statutis* ad Jus Rom. conformatis, protinus reſpondiſſe, ex iis, quæ ſuperſunt, pluribus apparebit.

Obſervantia Juris Rom. tanto magis ſe dilatavit.

THESIS XI.

Tranſitus

Quantopere nimirum *Jus* mihi *Patrium*, à prin-

Digitized by Google

à principiis Jur. Comm. hactenus expoſitis, *differat*, nunc porrò conſideraturus, neceſſarium duco verba *Ordinationis Provincialis* noviſſimæ, des Erneuert-und vermehrten Land-Rechts des **Ertz-Stiffts Trier** / wie ſolches durch den Hoch-Würdigſt-Durchleuchtigſten Fürſten und Herren, Carolum, Archi-Epiſcopum Electorem & *reliqua*, anno 1713, aufgerichtet worden, heic præmittere, ità verò illa, Tit. I. **von** *Teſtam.* **und andern letzten Willen:**

ſit ad Jus Provincial. Trevir. cujus verba exhibentur.

§. 2. Wird einem jeden in Unſerm Ertz-Stift, dem es in den allgemeinen beſchriebenen Rechten nicht austrücklich verbotten, und welche ſonſten wegen Alters, Vernunft, Gehör ünd Ausſprach darzu tauglich und fähig, erlaubt, und zugelaſſen, über ihre eigenthümliche Güther, es ſeyen ſolche liegend oder fahrend, ererbt oder errungen, und wie ſie Nahmen haben mögen, durch Teſtament, oder andere letzte Willen zu diſponiren, und ihre Verordnung zu machen.

§. 3. Denen Kindern, ſo in Vatters Gewalt ſtehen, erlauben Wir dennoch, daß ſie nach erreichter völliger Pubertät, nemlich nach hingelegtem 18ten Jahre, in denen Güthern, welche Adventitia genant werden, frey durch letzten Willen verordnen mögen.

(*§. 30. h. Tit. itidem hucpertinentem, infra Theſi penult. exhibebo.*)

THESIS XII.

Eorumque mens expenditur.

Iſthæc *Juris Provincialis* diſpoſitio in ſe adeo clara eſt, ut ulteriori aliquâ interpretatione vix indigeat. *Eminentiſſimus* nimirum *Legislator* è recenſu perſonarum, quæ Jure Communi Teſtamentum facere impediuntur vel prohibentur, Liberos in patria poteſtate conſtitutos, ſine differentia Sexus, eximit: iiſdemque permittit, ut quam primum decimum octavum ætatis annum compleverunt, de bonis adventitiis (nulla proin diſtinctione facta, num regularia vel irregularia aliàs dicantur) per ultimam voluntatem *libere* diſponere poſſint. Quod etiam hæc facultas à conſenſu paterno non ſit ſuſpenſa, ex ſolâ illâ particula *libere* (frey) apparet, cum verba ſingula in Statuto poſita, eaque diſpoſitiva, cum effectu intelligenda, nullamque ſyllabam fruſtra poſitam eſſe cenſendum ſit, *Conſil. Tubing. noviſſ. Tom V. Conſil. 55. num. 11. ſeqq.* Ipſa verò particula illa, in diſpoſitione adhibita, poteſtatem tribuat, actum ſua ſponte, ſine licentia & autoritate alterius perficiendi, STRAVCH. *Lexic. partic. Jur.* verbo *libere.* De reliquo tamen Filiumfam. ad obſervandas ſolennitates Juris Communis adſtrictum eſſe, diſpoſitio *l. 35. C. de inoff. teſtam.* neminem dubitare ſinit.

THESIS XIII.

Recenſentur nonnulla alia vi-

Non ſolùm verò hoc *Noſtro*, ſed compluribus aliis Regionum Germaniæ *Statutis* eadem libertas Filiisfam. indulta, ita tamen, ut pleraque eorum

eorum vel ratione ætatis, vel ratione conſenſus paterni, vel etiam intuitu certorum bonorum, quæ excepta, ab iiſdem differant. Quæ omnia heic recenſere prolixum nimis, imo impoſſibile foret. Aliqua tamen eorum è vicinis Regionibus huc conducere licebit. Ita enim cum his *Noſtris* amicè conſpirat das Chur-Pfältziſche erneuerte Land-Recht *part. 3. tit. 3. §. 5.* niſi quod bona illa, ſo von Bluts-Verwandten, durch Erbſchaft oder Heurath angefallen, nominatum excipiat. Nec minus die Land-Gerichts-Ordnung des Stifts Wirtzburg und Hertzogthum Francken *tit. 39. §. 7. 8. 9.* quæ ipſa tamen facultatem teſtandi ad caſus illos reſtrinxit, wann die Eltern in Anſehung des ſchuldigen Voraus (de quo in Tit. proxime præcedentibus) ſtimmig wären, desgleichen wann einem ſolchen Kind, von jemand, deſſen Noth-Erbe es nicht wäre, was zukäme, mit der auſtrücklichen Condition, daß ſolches Guth dem Kind eigenthümlich ſeyn und verbleiben ſolle, &c. Itemque *Reformatio Francofurtenſis part. 4. tit. 2. §. 4.* junct. *part. 2. tit. 1. §. 8.* quæ tamen à conſenſu paterno facultatem teſtandi potiſſimum ſuſpendit. Quæ Jure Provinciali *Wurtenbergico* & *Norico* proviſa, aqud LAUTERBACH. *Colleg. Pract.* nec non *in Diſſ. ad Jus P. W.* & STRYCK. *U. M. ff. tit. qui teſtam.* videre licet. De cætero extra Germaniam quoque in Belgio utroque, Hiſpaniâ, Galliæ Provinciis & locis Italiæ nonnullis Filiosfam. eadem libertate gaudere, è Dd. quos VINNIUS & GRONEWEGEN *ad pr. Inſt.* qui

cinarum Regionum ſtatuta, noſtris ſimilia

conſtitutis retractus quoad bona á patre alienata denegatus, ſubjuncta tamen exceptione: Es wáre dann, daß ſie verheyrathet, oder abſonderlichen Haus-Stat nach erreichten 25. Jahren führten &c. generalis illa ratio ſimul additur: maſſen Wir die vátterliche Gewalt, zu Latein Patria Poteſtas genant, in dieſer, und ſonſten in Unſerer gegenwártigen Landes-Ordnung anders nicht verſehenen Begebnüſſen dahin beſchrenckt haben wollen.

THESIS XV.

His omnibus tamen parum obſtantibus, aſſerere nullus vereor, *Eminentiſſimum Legislatorem* Jus in Patria mea dudum olim conſtitutum & (non obſtantibus contrariis *Statutis* intermedii temporis) ſolá obſervantiá conſervatum, hác ſanctione ſuá renovaſſe. Id ut evincam, primo loco ad antiquiſſimum, de quo mihi conſtat, *Statutum* Patrium á D. Memoriæ *Archi-Epiſcopo Electore* JACOBO, anno 1541. promulgatum, provoco, cujus verba huc pertinentia itá ſonant: Sóhne und Dichtere, wann ſie ihr achtzihnd Jahr vollendt, mógend ihr eygen Guth verſchaffen, wem ſie wollend, der Vatter mag es ihn nit gewehren. quod enim verbum verſchaffen / πολυσημον aliàs, hìc nihil aliud quam *teſtari*, *per ultimam voluntatem quid relinquere*, ſignificet, nemo facilè negabit, vid. WACHTER. *Gloſſar.* verb. Schaffen / Geſchäft / & SUMMERMANN *d. Tract. pag.* 23.) Prout etiam aliunde notum *Statutis* hoc ævo condi-

Qua ratio probabilis videatur?

conditis, adhuc id potiſſimum actum eſſe, ne Jus exoticum, in Fora Germaniæ quotidie magis irrumpens, velut *rapidus*, ultra *montano flumine torrens*, principia Juris Patrii ad unum omnia ſubmergeret: ità de antiquiſſima illa *Ordinatione Trevirenſi* idem omnino dicendum eſſe, vel ex hoc ſolo *articulo* ſatis apparet. Ipſa quoque harmonia, quæ inter *Statuta Trevirenſia*, *Palatina*, *Franconica*, *Suevica*, pluraque alia hodienum conſpicitur, neminem dubitare ſinit, mores illarum Regionum, antiquioribus temporibus, jam tum, hâc in parte uniformes fuiſſe: Unde etiam in *Statut. Wirtzburg. cit. loco* §. 7. uff des Stiffts uhraltes Herkommen provocatur. Omnis verò ratio, cur Filiusfam. Teſtamenti factio, poſthabita Juris Rom. prohibitione permiſſa, ab eo, ſi quid judico, dependet, quod, ſicut Germani talem in liberos poteſtatem ſibi nunquam aſſeruerunt, qualem Romani habuerunt, ita etiam modi, quibus à poteſtate illa liberantur, Germanis ab antiquo uſitati, ab emancipatione Rom. oppido diverſi ſint. Vid. Dn. BOHMER *Diſſert. de ſtatu liber. ſui Juris factorum per ſeparationem vel nuptias.* THOMASIUS *Diſſert. de Quaſi Emancipat. German.* BEYER *Jur. Germ. Lib. I. cap. 26.* Exinde enim, opinor, factum, ut Teſtamentorum uſu, qui hucuſque rarior fuerat, Seculo XV. magis invaleſcente, Majores Noſtri rationes ſuas ità ſubduxerint, quia Jure Patrio Filiusfam. obtentâ ætate majorenni à patre vel invito ſe ſeparare poteſt, ſuique juris efficitur, & de bonis ſuis inter vivos libere diſponit

nit, cum iiſdem principiis nullo modo conſiſtere poſſe, ut Teſtamenti factio ſine ullo ætatis diſcrimine eidem denegetur, indeque inſtitutum hoc peregrinum ità informandum eſſe, ut Filiofam. wann er zu ſeinen Jahren kommen, libera teſtandi facultas relinquatur. Quod autem in Jure Noſtro *Provinciali* facultas hæc ad annum ætatis XVIII. adſtricta, non aliunde eſt, quam quod Jure Alemannico veteri, cujus uſus in his Germaniæ partibus viguit, hic terminus, pro fine ætatis minorennis poſitus fuerit; ità enim *Specul. Suev. cap. 323. §. ult.* Wann ein Mann komt zu achtzehn Jahr, ſo hat er ſeine volle Tag. Et quanquam Dn. LEYSER in nervoſa & erudita hiſtoria Juris tutelaris, quam *Meditat. ad ff. ſpec. 327.* inſeruit, *meditat. 6.* exiſtimet, Suevos quoad terminum ætatis minorennis ſemet peregrino Juri mox ſubjeciſſe, eò quòd in eodem capite ſtatim additum: Aber Künig Karl hat geſetzet: er ſoll Pfleger haben unz uff fünf und zwanzig Jahrn. Quia tamen verba illa in vetuſtiſſimo *Codice pergameno Ambraſiano*, teſte SCHILTERO *Exerc. ad ff. 37. §. 85.* non reperiuntur, emblemati recentioris temporis, cùm uſus Juris Rom. in Germania jam adoleverat, eadem tribuenda eſſe nullus dubito (de luſu eorum temporum ſolenni, quo ſingularia quælibet, & à Juris communis ratione aliena *Carolo* vel *Ottoni M.* tributa, non eſt ut moneam) eàdemque ratione factum eſſe, ut *cap. 316. §. 6.* & *cap. 321. §. 2. Edit. Goldaſti* idem terminus 25. annorum inſertus fuerit, admodum probabile videtur.

THESIS XVI.

Reſpondetur dubiis ſupra obmotis.

Quo ipſo dubiis, *theſi 14.* obmotis, facile ſatisfieri poterit. Quoad *primum* enim, nihil equidem notius, quam quod mixtura diverſorum Jurium in theoria & foro illud dudum effecerit, ut inſtituta meri Juris Patrii, ſtylo etiam publico, terminis è Jure Rom. petitis efferantur, re ipſa tamen Rom. pubertas plena, etiamſi eâdem annorum periodo incipiat, cum pubertate Germ. nihil commune habet, eò quod ulteriorem finiendæ minorennitatis terminum poſt ſe relinquat. vid. GÆRTNER *Diſſ. Jure Germ. inter impub. & minor. non diſtingui theſi 6.* Quoad *ſecundum*, donatio m. c. LL. Rom. ad conſenſum patris reſtricta, cum Teſtamento Filiifam. de quo hîc, nihil commune habet. *Tertium* dubium per ſe evaneſcit, poſtquam ex antiquiore Conſtitutione moribusque Patriis hanc Noſtram *Ordinationem* profluxiſſe evicimus. *Quartum* quod attinet, apud Germanos equidem inter pubertatem & ætatem majorennem quoad effectus Juris vix ulla differentia interfuit, utraque certè uno communi nomine comprehenſa fuit, vid. HEINECC. *Antiq. Rom. l. 1. §. 336.* LEYSER *d. l.* GÆRTNER *d. l.* §. *5. & 7.* Eadem tamen, quam dixi, Juris Rom. & Germ. mixtura, dudum olim invecta, haud dubie effecit, ut in uno eodemque *Statuto*, recentiori præſertim tempore confecto, ætatis humanæ gradus, pro diverſitate negotiorum, diverſimodè, ſecundum hæc vel illa principia, non rarò determinata fuerint. Idemque ad *quintum* dubium repono, quod enim *Ordi-*

natione

Digitized by Google

natione noviſſimâ effectus *ſeparationis* ad ætatem 25. annorum reſtrictus, haud dubiè ex Jure Rom. quod proximè antecedens Ordinatio anni 1668. preſſo pede ſecuta, ſuum habuit influxum. Idque tantò facilius contingere potuit, cum ipſum Jus Alemannicum jam tum, quantum ex *Speculo Suevico* videre licet, ætatem puberem pro diverſitate & gtavitate negotiorum à Filio gerendorum, diverſimodè determinaverit. Non ſolum enim, prælaudato LEYSERO obſervante, in *cap. 1.* §. 2. das Voigtding ſuchen, ſive in concilio civitatis comparere & partem Reip. ſe profiteri, ad annum XXI. reſtrictum (quanquam integer hic §. 2. nec in SCHILTERI Editione, nec in Cod. MSC. reperiatur circa tempora Wenceslai conſcripto, quem *Celeberr.* DN. von der LAHR, JCtus Francofurtenſis, in Bibliotheca ſua inſtructiſſima aſſervat.) Sed etiam per *cap. 48. §. 1. apud Goldaſt.* nemo tenebatur, ante annum 25. die Biſchöfliche Sende zu beſuchen, & juxta *cap. 13.* illi ſaltem adſtricti erant die Landtäding zu beſuchen, die 24. Jahr alt: (ſive ut apud *Schilter.* & *in Cod. Uffenbach.* die 22. Jahr alt) waren. Add. quæ de variationibus, *Noſtris* plane ſimilibus, in *Reformat. Francofurt.* obviis, Doctiſſ. Autor der Anmerckungen über *Part. 2. tit. 8. priores, pag. 7. ſeqq.* annotavit. Quando autem, ceu ſupra vidimus, apud exteras quoque Gentes, Teſtamenti factio Filiisfam. permiſſa, ejus rei cauſa alicubi eſſe poteſt, quod obſervante GROTIO *de J. B. & P. lib. 2. cap. 8. §. 1.* per migrationes Populorum Germ, *ſicut*

D 2 *olim*

olim Græca, ità Germ. Jura in Europa paſſim recepta ſint, & etiamnum vigeant: hi ipſi enim, quæ ſupra de P. P. & modis eam ſolvendi dixi ſecum afferentes, teſtamentorum inſtitutum, in exteris Regionibus jam uſitatum, eadem ratione informarunt.

THESIS XVII.

Tenetur tamen Filiusfam. Teſtator Parentibus legitimam relinquere.

Supereſt, ut de Legitima parentibus debita, & uſufructu Patri in bonis adventitiis Jure Rom. competente, num Teſtamento Filiifam. iiſdem præjudicari poſſit? adhuc diſquiram. Legitimam certè quod attinet, eandem Parentibus à Filio, citra cauſam exheredationis auferri non poſſe, ulteriori argumento non indiget, cùm *Ordinatio* Noſtra *Provincialis d. Tit. 1. §. 22.* id nominatim definiat. Altera verò quæſtio uſumfructum paternum attinens, non æquè expedita eſt. Quamvis autem BRUNNEMANN. *ad l. 35. C. de inoff. Teſtam.* eandem ſimpliciter affirmaverit, in *Statutis* quoque *Franconicis, Wirtenbergicis* & aliis nonnullis cautum ſit: daß erſt nach der Eltern Abſterben der Eigenthum mit dem uſufructu, ſo ihnen gebühret, conſolidiret werden, und den vom Sohn inſtituirten Erben, oder Legatariis zufallen ſolle.

Num morte filii teſtatoris, uſusfructus parent. expiret.

Cumque *Jus Noſtrum Provinciale* de hoc caſu nominatim haud diſpoſuerit, id ipſum juxta communem Dd. regulam, ex *Jure Communi* protinus hic ſupplendum eſſe, videri poſſit. Quia tamen *in Tit. VIII.* von der Leib-Zucht *§. 7.* proviſum: Wann nach eines Ehegatten Abſterben durch Succeſſions-Recht, Teſtamenta oder Schen-

ckun-

ckungen den Kindern von Vatters-Mutter-auch Neben-Seiten, oder ſonſt quocunque Titulo etwas zukomt, hat darin der Vatter oder die Mutter die Leib-Zucht, ſo lang ſie die Kinder alimentiren: wann die Kinder aber ſich verheurathen, oder doch nachdem ſie das 25te Jahr ihres Alters erreicht, ſich von den Eltern abſondern, ſoll den Kindern ſolch Guth abgetretten werden. Mentem & rationem hujus §. 7. tam latè patere, ut ad præſentem quoque caſum, quando Filius condito Teſtamento moritur, ſe porrigat, rectè, ni fallor, exiſtimo. Quod enim ad Jus Romanum (in *declarandis*, *ſupplendis*, *corrigendis Juribus Statutariis* non aliter recurrendum ſit, quam ubi reliquum Jus Patrium ejusve rationes penitus deficiunt, *Kulpiſius* dudum evicit.) Ut adeo Parentem utrumque, *Jure Trevirenſi* in adventitiis uſufructuarium, mortuo *Filio teſtatore*, heredibus, & legatariis, quos nominavit, eadem illicò reſtituere teneri, nunc quidem perſuaſus ſim; de uſu *Fori Patrii*, quam primum in eô verſari dabitur, certiora interim expectans. Illud quoque ſupra dictis velut in tranſitu addere lubet, quando Dd. vagè nimis, nimisque generaliter aſſerunt, *Statutum Filiofam. teſtari permittens*, *non aliter exaudiendum eſſe*, *quàm ut teſtetur ſecundum terminos Juris Communis*, idque exinde probare conantur, quod *Filiafamilias de dote profectitia*, *quam pater ipſius*, *matrimonio ſoluto, ſibi reddi ſtipulatus eſt*, *teſtamento diſponere nequeat*. vid. Haripprecht *Tract. de Succeſſ.*

 part.

part. 1. pag. 768. ibique alleg. junƈta tamen pag. 784. Alderanus Mascardus *de generali Statut. interpret. Concl. 2. num. 228.* exemplum illud ab eo, quod probandum erat, valde remotum eſſe, cùm de alieno teſtari Statutum non magis, quam Jus Commune cuiquam permittat. Conf. Struv. *Exerc. ad ff. 30. theſ. 49. 50.* Besold. *Conſ. 44.* Denique & illa quæſtio huc pertinet, *num Filiusfam. Trevirenſis in alieno Territorio,* ac vice verſâ *forenſis in Terris Archi-Epiſcopatus Trevirenſis exiſtens,* vigore *Statuti Noſtri teſtamentum facere poſſit?* Eandem verò B. Hertius *de Colliſ. LL. Sect. 4. §. 12.* ſecundum regulas, quas §. *præcedente 6.* præſtruxit, ſolide ità decidit, quod Trevirenſis Filiusfam. de bonis alibi ſitis teſtari nequeat, benè tamen exterus filiusfam. in Archi-EpiſcopatuNoſtro exiſtens, quoad bona ibidem ſita.

THESIS XVIII.

Superioribus nova differentia additur, quoad ſubſtitut. pupillarem, matri permiſſam,

Quam inſignes itaque *differentiæ* illæ ſint, quæ *Jus Commune*, mihique *Patrium*, circa *Teſtamentum Filiifam. de Bonis Adventitiis* intercedunt, ex hactenus dictis ſatis jam tum liquet. Iiſdem tamen, dum ad finem propero, unicam adhuc ſuperaddo. Ex primis nimirum Juris Communis principiis abundè notum eſt, quod *ſubſtitutio pupillaris* effectus patriæ poteſtatis ſit, ac matri proin ita ſubſtituere, eoque duo quodammodo teſtamenta, alterum proprium, alterum filii, aut certè unum teſtamentum duarum cauſarum condere, nulla ratione liceat. Plane verò aliter circa ſubſtitutionem illam *Ordinatio* Noſtra *Provincialis* rationes ſubducit, dum *d. tit.*

§. 30.

§. 30. ita cavet: Eine Mutter oder Alt=Mutter ſoll auch in Kraft dieſer Unſerer Ordnung Macht haben, ihren Kindern oder Enckelen und Uhr=Enckelen, jedoch allein in demjenigen, was ſie denſelben im Teſtament vermacht, unmündiger weis oder pupillariter zu ſubſtituiren, welche Mutter= oder Alt=Mütterl. Pupillar Subſtitution der Vatter oder Gros=Vatter durch ſeine Pupillar Subſtitution nicht hindern noch endern mag: durch ſothane Subſtitution aber bleibt dem überlebenden Vatter und Mutter ſowol in denen Güther, ſo ſie dem Kind im Teſtament verlaſſen, als auch von denen, die dem Kind anders woher angefallen, die Legitima unbenommen: auch wird ſelbige nach Erbſatzung verloſchen, wann die Kinder, nemlich die Söhn das 14te und die Töchter das 12te Jahr erreicht und hingelegt.

THESIS XIX.

Et in ejus rationem inquiritur.

Sed & hujus diverſitatis ratio non aliunde, quam à principiis Juris Germanici arceſſenda. Cum enim ſecundum Jus Germanicum *imperium parentum in liberos*, naturali prorſus ratione, ut medium, ad finem educationis obtinendum neceſſarium, ſe habeat. Atque adeo, ſicut matri non minus quam patri obligatio incumbit liberos educandi, ita quoque *imperium* ſive *poteſtas* illa *domeſtica* utrique eorum, ſubordinate licet, competit. Dn. Böhmer *de ſtatu liberor per ſeparat. vel nupt. ſui juris factorum cap. 2. §. 7. & 9.* Beyer *Jur. Germ. lib. 1. cap. 26. §. 69.* Idemque Juris Patrii principium Majores noſtri circa inſtituta ex Jure Rom. deinceps recepta, tu-

telam

telam v. g. teſtamentariam & ſubſtitutionem pupillarem, itidem obſervarunt. Fuerunt equidem ſubſtitutiones omnino omnes, perinde ac Teſtamenta, Germanis olim incognitæ. Hodienum quoque *ſubſt.tutio pupillaris* apud Populos nonnullos originis Germanicæ haud obtinet. Vid. VINNIUS *in Comment. ad §. 9. Inſt. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Germaniam ipſam tamen quod attinet, ubi teſtamenta in uſu, ibi etiam *ſubſtitutiones directas* atque adeo & *pupillarem* receptas eſſe, in confeſſo eſt. Illa tamen in Regionibus Germ. differentia intercedit, quod in pleriſque equidem ſecundum placita Juris Rom. facultas pupillariter ſubſtituendi, matri & aſcendentibus maternis hodienum denegetur, In nonnullis tamen Regionibus, ex eo, quod poteſtas in liberos utrique parentum communis, moribus olim invectum & *Statutis* confirmatum eſt, ut *mater* quoque *pupillariter ſubſtituere poſſit.* Dn. HEINECCIUS *Antiq. Germ. lib.* 2. §. 212. Quamvis prærogativæ patris id ſimul datum ſit, ut ſubſtitutio illa tantum procedat, quoad bona à *matre* in filium profecta, & ſecundum *Statuta Wirtenberg. part. 3. tit.* 12. §. **wiewohl**: *Norica tit.* 30. §. 2. *aliaque* non niſi in ſubſidium, ubi nulla ſubſtitutio in linea paterna facta, eadem permittatur. *Eminentiſſimo* vero *Legislatori* Noſtro placuit, facultatem in bonis præfatis pupillariter ſubſtituendi, matri & aſcendentibus maternis ita concedere, ut à linea paterna nullo modo impediri poſſit, ſalva tamen legitima conjugi ſuperſtiti debita. Conf. **Chur-Pf. Land-R.** *part 3. tit.* 10. §. 5. & *Ref. Franc. part.* 4. *tit.* 4. §. 5.

FINIS.

Corrig. pag. 4, ſummar. marg. lin. 15. *innumeral*, *innumera* lin. 16. d. l. *Cauſa* l. *Cauſa* pag. 4. l. 27. pag. 6. lin. 1. *Libri* l. *Libror.* pag 7. lin. 13. hanc. l. heic. ibid. in ſummar. *Reliquo* l. *Reliqua* pag. 8. condiſtinctum l. contradiſtinctum pag. 9. lin. 12 *permiſſ.* l. *permiſſ.* docemur. pag. 10. lin. 20. *Ulpiani* l. ex Ulpiano lin. 29. familiæ l. ſuæ famil. pag. 14. lin. 7. ſæpiis l. ſæpius forſan.

VA1152113 4

Digitized by Google